# DE FEBRI.

I.

Febris male definitur, quod ſit reactio na-naturae a ſtimulo inconſueto irritatae cum laeſa ab hinc functione aliqua.

II.

Praeterquam enim, quod obſcura, etiam in eo fallit, quod in chronicis morbis ſimilis irritatio & reactio & laeſa functio detur, quin ideo febris adſit, vt vomitus, diarrhoea, convulſio.

III.

Nulla febris prodroma ſymptomata habet, ſed ea vel cauſae febris, vel corpori aegrotantis tribui debent.

IV.

Antecedere febrim quasdam aegritudinis notas, facile concedimus, at ea non a febri ipſa producuntur, magisque vt ſigna conſiderari debent.

V.

Febris legitima ſemper frigus, horrorem aut rigorem ſibi comitem habet; abeſt interdum in irregularibus & ſingulari conſtitutione.

VI.

Quare ſi non ad eſſentialia, certe pathognomonica merito refertur.

VII.

Optima febris definitio eſt, quae petitur a ſymptomatibus.

VIII.

VIII.

Non datur febris neruosa, eaque ab auctoribus ita apellata, nil aliud est, quam febris certa species, coniuncta cum statu neruoso.

IX.

Quum itaque certis notis caret, nec febrim per se constituit, nec remediis neruinis auscultat, iure ex febrium catalogo expungitur.

X.

Hinc etiam intelligitur, cur adeo dissideant inter se Auctorum obseruata & curandi methodi, quas profuisse testantur.

XI.

Inflammationis varia natura est, & male a solidis contractis vnice repetitur.

XII.

Inflammationem occultam dari facile admitto:

mitto: At quum ex ſignis detegi nequeat, plus de eo dici & ſcribi, quam agnoſci & curari poteſt.

XIII.

Conſideratio ſenſibilium aeris qualitatum ad cognitionem morborum inprimis conſtitutionum tam parum facit, quam ad earum generationem.

XIV.

Hinc vana quorundam medicorum opera, velud id olim iam SYDENHAMVS, SVITENVS, aliique recte monuerunt, & Ill. Praeſes multiplici obſeruatione edoctus eſt.

XV.

Morborum cauſas pro vſu practico recte diuidit Ill. Praeſes, in viſibiles & inuiſibiles, occultas & euidentes.

XVI.

Nupera morborum diuiſio in claſſes ex

pro-

profluuio, dolore, inflammatione, nobis non ita placet, vt ideo vetus, ſecundum partes, illi longe praeferenda videatur. Rogati rationes aſſignabimus.

XVII.

Caloris animalis plures cauſae poni debent; neque is confundendus cum naturali phyſico, quem thermometrum demonſtrat.

XVIII.

Epilepſia idiopathica rara eſt; conſenſualis tamen in idiopathicam abire poteſt.

XIX.

Phtiſis vera, purulenta, prouecta, cortice peruuiano vix vnquam, multo minus cucumeribus perſanatur.

XX.

Si quando curatur, plus naturae & caſui, quam arti adſcribendum, puto.

XXI.

XXI.

Tametſi multi doctores contra empiriam clament, iidem tamen, ſi quando morbis medentur, ſaepe empirici fiunt.

XXII.

Febris intermittens datur, quae corticis peruuiani vſum recuſat.

XXIII.

Caryophyllata non tanti pretii eſt, in curandis febribus intermittentibus ac Cl. Buchave contendit.

XXIV.

Vtrum Mercurius ſolubilis Hahnemanni aliis praeparatis mercurialibus praeferendus ſit, merito dubitamus.

XXV.

Mercurius ſublimatus male a Girtanero & Brambilla damnoſus iudicatur.

XXVI.

XXVI.

Rectus eius vſus certo plurimis, vt Ill. Praeſes vidit, ſalutem attulit.

Hinc male prohibetur in medicina campeſtri Auſtriacorum.

XXVII.

Vera Mercurii auxiliantis ratio vix vnquam liquido demonſtrabitur.

Maxime vero inter omnes aberrauit, ingenio duce, CVLLENVS.

XXVIII.

Nouaturiendi cupido, quae adeo inter eruditos hoc tempore graſſatur, plurimum artis progreſſui nocet.

Non noua quaeramus; ſed vetuſta aut reiiciamus, aut confirmemus.

Noua raro vera.

XXIX.

XXIX.

Acidum phosphoricum vel vrinae corporis humani partem conſtituentem efficit.

XXX.

Bilis, quidquid alii obiiciant, eſt ſapo animalis.

XXXI.

An Metalla, ſulphur, Phosphorus ſint corpora magis ſimplicia, quam compoſita noſtris temporibus adhuc lis eſt.

XXXII.

Cor neruos habere extra omne dubium eſt, etſi anatome contrarium demonſtrare *videatur.*

XXXIII.

Congruentius igitur eſt dicere: Anatome non oſtendit neruos ad cor abeuntes, ibiue, vt in aliis muſculis ſe inſerentes; quam:

cor

cor neruis carere per anatomen demonſtratur.

XXXIV.

Datur electricitas animalis, quae a phyſica plurimum differt, ea a Cl. GMELINO pulchre illuſtrata eſt.

XXXV.

Glandularum obſtructiones & tumores, vti KAEMPFIVS aliique tot parere mala contendunt, teſte experientia negatur.

XXXVI.

Diarrhoea phtiſis colliquatiua, aſſidua eſt, fluida, debilitans, & tertium eius ſtadium deſignat.

XXXVII.

Vis vitae vario modo affici, ſupprimi, deleri poteſt; hinc adeo incertum de ea in morbis iudicium eſt.

XXXVIII.

XXXVIII.

Oppressio in peripneumonia non est signum essentiale.

XXXIX.

Apoplexiam ab inanitione non admittimus; haec deliquium, asphyxiam non apoplexiam generat.

XL.

Terra, quae basis est solidorum corporis humani calcareae noturae est.

XLI.

An calculus, tophus, calx podagrica a solidis detritis proficiscatur, hactenus non demonstratum.

XLII.

In laesionibus capitis difficile iudicium, & varia ars adhibenda.

XLIII.

XLIII.

Trepanatio in contusionibus capitis raro prodest.

XLIV.

Apertio vlcerum non eousque differenda, donec natura sibi viam pandere recuset. Quod ea interdum facit, non semper facit.

XLV.

Vlcerum quo simplicior tractatio eo melior.

XLVI.

In carie ossium remedia interna, vt assa foetida &c. parum prosunt.

XLVII.

Artis obstetriciae basis consistit, in distincta cognitione peluis, relationis foetus ad peluim, in exploratione obstetricia, & in aptis ad foetum extricandum encheiresibus.

XLVIII.

XLVIII.

Nullum certum conceptionis ſignum dari poteſt, & nulla primis temporibus indubitata grauiditatis diagnoſis.

XLIX.

Inſtrumenta in chirurgia & arte obſtetricia, quo ſimpliciora eo meliora.

L.

Solutio placentae non ſemper naturae relinquenda.

LI.

Punctio veſicae vrinariae per inteſtinum rectum optime inſtituitur.

LII.

Maxime conueniens locus ad paracenteſin abdominis in foeminis mihi videtur vagina.

LIII.

LIII.

Repletionem vulnerum poſt factas amputationes cum linteo carpto ſicco (trockene Charpie) non refugiendam, ſed potius laudandam eſſe, multis obſeruationibus in noſocomio Iuliaeo didici.

LIV.

Fiſtula lacrymalis non raro ſola operatione ſanatur.

LV.

In illis agris, vbi terra calcarea abundat, gypſum non locum habere poteſt.


Inches
1 2 3 4 5 6 7 8
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres
TIFFEN Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black